QUAEDAM DE INFLUXU PSYCHICO-PHYSICO AGRICULTURAE...

Marco Aurelio Dalla Noce

QUAEDAM

DE INFLUXU PSYCHICO-PHYSICO AGRICULTURAE

AD PROPRIAM ALIORUMQUE SALUTEM TUENDAM

QUAE PUBLICI JURIS FECIT

Ad Lauream Medicam

ADIPISCENDAM

MARCUS AURELIUS DALLA-NOCE

CREMONENSIS

Chirurgiae Doctor, et Obstetriciae Magister

PATAVII
TYPIS CARTALLIER
MDCCCXXXVI

OTTIMO DE' MIEI AMICI

DOTT. GIUSEPPE BANDERA

CUI

IL PREGEVOLE CUORE LO SVEGLIATO INGEGNO

L'OPEROSA ATTIVITÀ

ALTAMENTE ONORANO

LÀ NELLE TUE SOLITUDINI BEATE

AI GRAVI STUDII DISTRATTO

DALL'ARDENZA DELLE AGRARIE INDUSTRIE

FELICE CULTORE!

CONOSCI IN QUESTO MIO PRIMO ED INCERTO LAVORO

UNO SCARSO TRIBUTO

DI DEVOZIONE ED AFFETTO.

Cum mihi melius videatur nonnulla dicere hac serenissima die de argumento qnod utilitatem quamdam gignere possit, potius quam de illis, quae gloriam tantummodo comparant scriptori, aut de illis, de quibus tot, tantique auctores pertractarunt; Agricultura certe sermonem praebere potest huic dissertatiunculae, quam vestrae humanitati, Clarissimi Professores, commendo. Hoc sane argumentum medico aliennm alicui videri potest primo intuitu, nisi attente perpendere velit relationem, per quam aliquo nexu Medicina cum Agricultura vincuntnr; prima enim valere potest, tnm ad propriam tnm ad aliorum tuendam ac confirmandam salutem. En tali pacto quomodo duplici sub adspectu utilitatem illius artis demonstrare censeo; ostendam scilicet primum influxum psychicum ac physicum Agro-

rum culturae in individuis qui illam exercent ut morbos fugant ac salutem magis magisque prosperam habeant; inde exponam quibus nam viis haec ars publicae Hygieni utilitates quamplurimas praebere possit.

Si tranquillitas animi semper et ab omnibus ut fons prima salutis existimata fuit, nonne qui rusticanam elegunt vitam, majore tranquillitate vitam gaudent parvo contenti? Certe inter causas quae beatam faciunt vitam, ablatio censenda est vinculorum illorum multiplicium quibus homines in Civitate collecti plus minusve constringuntur, quibus fit ut a naturae legibus aberrent. Cives enim jam primis incunabulis vel inter luxus, vel turpi otio ac turpioribus vitiis dediti, effraenibus animi pathematibus exagitati vigilias ad auroras perducunt, nunquam illam dulcem beatitudinem gustantes quam sola animae placidae quies potest offerre. Nec immerito semper rusticanam vitam laudibus ad coelum tulerunt poetae, et ad hanc saltem pro tempore confugiunt opulenti Cives cum animum ab ingentibus curis oppressum erigere cupiunt.

At non solum sufficit vitam degere in rure ut tranquillitas adsit: qui inter mollitiem ac otium vivit, facili negotio vitiis etiam in rure indulgebit; at revera non amplius observare nunc possumus auream illam aetatem, in qua puritas ac innocentia in villicorum corde tantummodo ade-

rant; nunc ad rura etiam serpet illa horribilis vitiorum cohors, per quam homines a prisca dignitate recedunt. Agrorum culturae operam suam dare unusquisque debet qui vivit in rure, et vel mente vel brachiis illorum conditionem semper magis magisque perfectam reddere oportet; et tali modo cum ad aliquid bonum continue agendum anima intensa sit ad mala nunquam cogitat, nullius criminis pondus ipsam oprimit, ex quo surgit beata illa tranquillitas fons praecipua salutis.

Sic paucis verbis satis demonstratum arbitramur psychicum influxum vitae rusticanae ad tuendam hominum salutem, nunc remanet ut Physicas utilitates hujus vitae in humanis corporibus brevi Sermone ostendamus.

Quis interea inficiabitur quod aer atmosphaericus in agrorum planitie liberior, et magis renovatus, et magis salubris esse debeat, quam in urbe ac in ejus continuo clausis cubiculis? Quam plurimis argumentis hoc comprobatur, dum consideretur quod aer campestris continuo ventorum flatu exagitatur per quem noxia elementa vagantia disperduntur, ejusque praecavetur corruptio; quod minori numero haec elementa in hoc aere inveniantur, desunt enim civium officinae, quibus producuntur, ingens hominum numerus a quibus expirantur, eorumque excrementa, quae pravis effluviis aerem irrespirabilem reddunt;

dum immo per vegetabilia Chemici ostendunt quod principia nonnulla minus ad respirationem faciendam ab atmosphaera subtrahantur, et oxygenium contra qui optime respirationi favet per ipsa evolvatur.

Si aëris atmosphaerici bona conditio necessaria est hominum saluti, non minus necessaria sunt potulenta salubria. Aqua potulentum praecipuum, quod natura suppeditavit, et idcirco quod utilius esse debet longe melior in agro generatim invenitur; dum in urbe aut puteorum aquis utuntur, quae parum aëri atmosphaerico expositae minorem oxygenii quantitatem continent; aut si flumina per civitates magno habitatorum numero repletas decurrunt, substantiis hinc illinc nocentibus inquinantur, putrescentibus putа corporibus, excrementis, aliisque hujuscemodi. A naturae insuper legibus recedunt ditiores illi cives qui aquam spernentes vinum tantummodo ac spirituosos liquores semper et magna copia bibunt, ita ut illorum ventriculum non digestionis organum sed cella vinaria potius evadat. Ad horum potulentorum damna demonstrandum sufficiat clarissimi Zimmermanii auctoritas, qui asseruit tot artefactas potuum species ab humano ingenio ad morbos producendos inventas fuisse.

Quod diximus de potulentis, de vario alimentorum genere adfirmare etiam possumus. Rusticorum cibi simplicissimi, et juxta naturae leges

parati, magis humano corpori affines evadunt, magis digestionis viribus atque ad organismi jacturas reparandas accomodantur. Ne quis credat quod innumerae ciborum species varimode complicatae quae ad palatum tantummodo illiniendum sunt confectae, utiles sint, per vetus illud adagium quod palatum requirit etiam stomacho accomodatur. Hoc intelligitur de illo palatu qui adhuc juxta leges naturae propriam exercet functionem, non de illo qui per varium ac continuatum ciborum abusum normalem persentiendi facultatem amisit, et vel in primo ciborum limine dormit, vel corruptus judex invigilat. Satis jam demonstarunt perillustres medicinae Scriptores quam salubriora alimenta adhibeantur apud campestrium locorum habitatores, ita ut superfluum arbitror hoc magis pertractare argumentum. Negare autem non possumus quod si nonnulli artefacti cibi a manu experta, et a bene instructa mente confecti sint, duplicem obtinere possint scopum, palato scilicet satisfaciendo ac organismi jacturas restaurando; sed hoc sublimi tantum est proprium ingenii, et illius, qui optimus perscrutator naturae non hanc subvertere, sed ejusdem processus ad perfectionem perducere tentat. Haec vero quasi exceptio generalis regulae est retinenda.

Quapropter si aër atmosphaericus, potulenta, ac cibi sunt praecipua elementa sanitatis, certe qui

in rure vitam degunt a morbis magis praecaventur et firmiori gaudent salute.

Activitas insuper corporis physicarum virium evolutioni quam maxime favet, idque et ratione et facto facile deduci potest, quando consideretur quod ad systematum atque organorum perfectionem obtinendam, necessaria sit prae primis illorum exercitatio. Idcirco invenimus apud Mercatum « fere universam sanitatis rationem in » exercendo corpore sitam esse ». Nec immerito asseruit Hoffmannus quod « motus quia sangui- » nis circulum acutiorem reddit illum non modo » attenuat, sed vacillantem quoque adpetitum » excitat; vires collapsas erigit, et tam animo » quam corpori vigorem conciliat ». Inutile vero est auctoritates aliorum referre, quum quotidie observare datum sit apud simplices rusticos, et praecipue apud illos qui continuo labore agros colunt, magis robustum habitum corporis, minorem ad morbos suscipiendos dispositionem, et majorem ad reagendum facultatem. Quae omnia quam diversa sint apud urbium habitatores, qui desidiae atque ignavae consuetudini pro maxima parte indulgent, omnes conveniunt.

Ne quis credat quod hae sint speculativae animadversiones, et minime observatione atque experientia suffultae. Ubi enim major morborum numerus? In urbe aut in rure? In prima absque dubio; ubi magis ingruunt epidemici morbi per

quos fere integrae civitates hinc illinc tum et quando corruunt; dum florida salus ridet in proximis agris. Ubi majus alimentum inveniunt contagia, quam in urbe, ubi per majorem ad morbos praedispositionem, et per faciliorem communicationem, et per infirmitatem corporum quae aggrediuntur, horribiles eheu! caedes inducunt? Ut caetera facta relinquam, ubi magis nostris hisce temporibus ingruit Cholera? Nonne multis urbibus desolationem injecit, ita ut integras istarum familias extinxerit, incolumes prorsus vel parum laesa proxima rura relinquens? Et si aliqua in parte hic etiam serpere vidimus, nonne a proxima civitate terribile venenum originem duxit.

Spontanea tamen objectio ad aures meas nunc sussurrat, quod scilicet experientia clare demonstrat, quod rustici nonnulli, qui gravibus continuo coguntur laboribus in palustribus locis, in aquis stagnantibus semper jacentes, gravissimis corripiantur morbis, quibus incolumes observantur cives, ut exempli gratia febribus intermittentibus, diarrhoeis, hydrope, pellagra aliisque similibus. Hoc confiteri debemus, et certe infelix est haec agricultorum species; ego autem arbitror, quod non tantum durum vitae genus morbos in hisce individuis gignere valeat, quam saccida avarities ac inhumana crudelitas dominorum, qui plerumque rusticos inferioris classis quasi belluas

considerant, hosce ad continuos labores constringunt, modicissimum emolumentum ipsis praebentes; quapropter aqua tantummodo et inferioribus alimentis isti vescuntur, laceris ac insalubribus induuntur vestibus, insuperabili paupertatis pathemate vexantur; et dum veniente nocte a laboribus surgunt, et ad familiam revertuntur, filios, uxores, ac parentes sentiunt qui famem adcusant, et qui dum panem petunt nihil aliud inveniunt nisi suspiria gementis cordis, et debilitatem corporis laxi, ad quam fovendam parvam tantummodo straminis copiam in humidi cubiculi angulo possunt offerre. Ehu! nimia crudelitas? Ehu! tristis hujus classis rusticorum conditio! At procedant bene pasti ad labores, corpus atque animum modica generosi vini quantitate erigant, eorum corda convenienti ac necessario emolumento subleventur, corporis vires sano cubiculo restaurentur, et tunc videbimus quod per habitudinem etiam durum vitae genus non solum damnosum sed etiam salutare agrorum cultoribus evadat, ita ut non vitae rusticanae sed dominorum crudelitati nonnullae debeantur morborum species, quibus infima rusticorum classis vexatur.

Ex hisce omnibus conclusio satis rationi atque experientia comprobata facienda videtur, quod scilicet agrorum cultura utilem influxum praebeat ad praecavendos morbos, ac confirmandam salutem illorum, qui illam exercent. Transeamus

nunc ad secundam hujus sermonis partem, ad ostendendum scilicet influxum agrorum culturae ad aliorum salutem tuendam.

Triplici sub adspectu publicae Hygieni hanc artem utilem existimamus:

I. Conditionem aëris atmosphaerici meliorem reddendo;

II. Alimentorum qualitatem optimam et quantitatem majorem praebendo;

III. Divitias et ideo vitae commoda hominibus adaugendo.

Et primum quidem quantum discrimen inter conditionem aëris atmosphaerici illorum locorum in quibus campi vel per ignorantiam vel per ignaviam inculti jacent, et illam agrorum, in quibus manus ac hominum brachia continuo laborant? Videmus in primis hinc illinc immensas foveas, innaccessibiles lacunas aquarum stagnantium, ubi humidus aër, ac per putrefactionem animalium, per macerationem vegetabilium gaza respirationi infensa, et morbosa miasmata continuo evolvuntur, a quibus originem ducunt gravissimi diuturnique morbi sporadici nec non epidemici, ut unicuique, qui primum attingerit medicinae limen, satis compertum est febres periodicas praecipue istis in locis propriam trahere ac statuere sedem. Dum contra ubi agri coluntur vides lacunas exsiccare, valles ac paludes in agros bene cultos convertere, aquis stagnantibus profundarum

excavationum ope aliisque methodis ab humano ingenio inventis rapidum inducere cursum, et sic non amplius gaza irrespirabilia, humidus aër, morbosa miasmata, sed salutares Zephyri ac purus aër circum evolvitur; non amplius tristem vilium animalium abitationem, sed amoenam observas ac ridentem planitiem, quae securam salutis faciem praeseferre videtur. Quoties non vidimus epidemias gravissimas, aliasque morborum species quae victae fuerunt ob meliorem aëris atmosphaerici conditionem per agrorum culturam inductam? Et revera operationes quam plurimae quas agricolae faciunt ut directam habeant utilitatem, ut scilicet majorem frugum aliorumque productorum quantitatem ac perfectam qualitatem obtineant, indirecte etiam aëris atmosphaerici conditionem magis perfectam reddunt; lacunas enim exiccando, valles in agros, et aquas stagnantes in torrentes convertendo ut majorem ac meliorem frugum quantitatem habeant, salutarem olium ut diximus eodem tempore obtinent scopum.

Quisque praeterea facile agnoscit quomodo agricultura alimentorum quantitatem adaugeat, et meliorem ipsorum qualitatem inducat. Videmus per hanc artem nutrientes ac salutares crescere fruges ubi primum herbae inutiles, vel saltam animalium cibi crescebant; videmus oryzam flavescere, ubi primum paluatris surgebat

arundo, videmus aratrum altorum montium culmina petere, et salubrem alimentorum copiam induci ubi prius semper hybernum tempus regnabat. Haec ars insuper studio ac ingenio surrecta fruges a morbis praeservat, et certe oculus invigilans ac expertus solummodo, ac nonnulla rationalia remedia hoc obtinere possunt. Quantum vero utilitatis publicae Hygieni adferat haec praeservatio demonstrant pathologi, ac pharmacologi, qui damna innumera ostendunt, quae humano organismo fruges corruptae a nonnullis morbis inducunt. « Exemplo sit ut de aliis sileam secala cornuta ». Ab hac arte pendet quod fruges necessarium maturitatis gradum attingant, quod eorum elementa sint magis nutrientia; haec ars deuique meliorem docet fruges sarbandi methodum, qua neglecta, per fermentationem aut putrefactionem, aliosque similes processus, mortifera evolvitur productorum corruptio. Quapropter quisque videt quantum conferat ad humanam sarbandam salutem agrorum cultura; nec verum est quod cibi vegetabiles inutiles sint pro humano organismo, ut nonnulli putarunt; hoc jam ratio atque experientia falsum demonstrant. Per primam facile intelligimus quomodo cibi animales nimia nutriendi facultate, et nimia plasticitate donati plurimis in casibus at praecipue in morbis nocui evadere possint; experientia praeterea ostendit quod salubrior sit promiscuus

ciborum animalium ac vegetabilium usus; ita ut fuit qui asseruit quod homo quia dentibus caninis ac molaribus est donatus, carnivorus ac herbivorus esse debeat; qui argumentandi modus quamvis forsan non tantum sit philosophicus, vera tamen mihi videtur conclusio.

Nunc denique remanet, quod influxum in humanam salutem agrorum culturae ostendamus, per majores divitias et per majora vitae commoda per ipsam inducta. Nonne verum est quod major observetur opulentia illis in regnis in quibus haec ars ad maximum perventa est perfectionis gradum? Quomodo ignavi ac desides civitatis habitatores vitae delitias gustare possent, nisi agricolae propriis laboribus ac industria, eorum satisfacerent desideriis, optata ac necessaria praebentes alimenta, et pecuniam ipsis accomodatam suppeditarent? Et ubi major adest paupertas, nonne ibi major morborum numerus? Dum contra ubi divitiae abundant, si ad bonum adhibeantur finem, morbi etiam facilius praecaventur ac sanantur. Hoc praecipue comprobatur in Nosocomiis, in quibus si pecunia adest, etiam pharmaca, alimenta, lectula, linteamina, aliaque similia optima inveniuntur, et tali pacto aegri benedicunt piam illam manum quae ipsos ad salutem restituit.

Haec autem non est sola utilitas quam agricultura humanae confert saluti, alia remanet,

rusticatio scilicet veluti solatium ac levamen pro sanis ut salus firmior evadat, et pro aegrotis ut salus restituatur. Omnibus notum est quantum prosit vita campestris in chlorosi, in amenorrhoea, in obstructionibus viscerum abdominalium, in hypochondria, hysterismo, aliisque chronicis morbis; sed vita campestris certe per se parum utilis evaderet nisi agrorum cultura jucundiorem ac magis amoenam ac variam ipsam redderet, et animum ac corpus vario modo suaviter exerceret.

Antequam hoc relinquam argumentum objectioni quae spontanea videtur nonnulla respondere debeo. Aliqui enim opponere possunt quod agrorum cultura tum et quando, scilicet in nonnullis hujus artis partibus, humanae saluti manifeste noceat, sicuti exempli gratia oryzae cultura, canapis maceratio, ac similia.

Negare non possumus quod ab ampla planitie ubi surgit oryza, humidus aër ac nocuis miasmatibus plenus evolvatur; idcirco sub hoc adspectu hominum saluti hoc contrarium videtur, sed si attente consideramus quod ad hanc frugum speciem colendam ima loca seliguntur, quae igitur humida sunt per se; imo plerumque paludes ac valles in agros mutantur, tum videbimus quod oryzae cultura parum nocua, imo in hoc extremo casu utilis quodammodo evadat. Et certe longe majus est damnum quod valles adferunt humanae saluti quam campi ubi oryza colitur; in illis enim

eadem aqua continuo stagnat, in qua et vegetabiles et animales in macerationem ac putrefactionem transeunt; dum contra in ultimis aqua semper mutatur ac inutiles vegetabiles saepe amoventur.

Verum tamen est quod etiam si haec relativa utilitas tum et quando habeatur semper autem plus minusve noceant saluti; sed huic remedium praebet Politia Medica, quae convenientem statuit horum agrorum distantiam a civitatibus vel oppidis, vel similibus, ubi magnua habitantium numerus est collectus; et alias docet praecautiones ut minime nocentes evadant. Idem dicere possumus de canapis maceratione, quae saltem longe ab habitatu conceditur; idemque repetere de aliis similibus, quae a Politia Medica directa innocua fiunt. En alio modo demonstratum quomodo agricultura cum medicina nectatur.

Ex supra expositis igitur concludatur quod agrorum cultura utilitatem praebet Psychicam et Physicam in illis qui ipsam exercent non solum, sed etiam publica salus per ipsam tuetur ac confirmatur.

THESES DEFENDENDAE

I.

Medicus, sui ipsius medicus pessimus.

II.

Pro causarum varietate differre febres puerperales.

III.

Species plantarum ejusdem generis nec eâdem nec simili pollent virtute.

IV.

Natatio uti exercitium gymnasticum omnibus anteponendum praecipuae in puerili etate.

V.

Homo in climate modificatur.

VI.

Si vis causse morbificae choleram morbum asiaticum inducentis deprimens videatur.

VII.

Quaecumque sit natura vel deprimens vel excitans caussae morbificae choleram inducentis, venae sectiones semper utiles.

VIII.

Inter somnum et delirium relationes habentur constantes et determinatae.

IX.

Temperamenta prout aetates mutantur.

X.

Sensatio famis rarissime per acrimoniam succi gastrici provocatur.

XI.

Scrophulosis est neuropathia systematis in genere vegetabilis.

XII.

Defendo febrim nervosam idiopathicam.